



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola I. Caelestini Papae III. Ad Praelatos Angliae. Pro Vvilielmo Eliensi
episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

EPISTOLA I.
CÆLESTINI PAPÆ III.
AD PRÆLATOS ANGLIÆ.

Pro Vvilielmo Eliensi episcopo.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus
archiepiscopis & episcopis in regno Angliæ constitutis salutem
& apostolicam benedictionem.*

CVM dilectus in Christo filius noster Richardus illustris
rex Anglorum, quando se suscepit signo crucis ad
victoriam iniuriam Redemptoris accinxit, tutelæ re-
gni sui curas, quod sicut vir intelligens & requirens Domini-
num duxit obsequio postponendum, sub apostolica pro-
tectione dimiserit, statum regni sui ac iura & honorem
ipsius tanto maiori studio conseruare volumus & debe-
mus, quanto de nostra protectione confisus maioribus
periculis personam suam & res pro exaltatione sanctæ re-
ligionis exposuit, & in obsequio Creatoris laudabilius, fa-
ciente Domino cum eo signum in bonum, atque feruen-
tius, sicut ex suis operibus elucefecit, cognoscitur se habe-
re. Cum igitur quædam tam contra regnum ipsum, quam
contra venerabilem * patrem vestrum Vvilielum Elien-
sem episcopum, apostolicæ sedis legatum, cui regnum tra-
didit gubernandum, per Ioannem comitem Moretonii,
& per quosdam alios accepimus attentata, quæ nonnulla
in se suspicionis continent argumenta, & si vera sunt, non
in modicam noscuntur sedis apostolicæ contumeliā red-
undare, eidem præsumptioni tanto maturius duximus
occurrentum, quanto ex mora ipsa iam dicto regi & ter-
ræ Hierosolymitanæ grauius detrimentum ac nobis &
ecclesiæ Romanæ maior inde posset ignominia proueni-
re. Proinde vniuersitati vestrae per apostolica scripta man-
damus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus si,
prout nobis insonuit, memoratus comes, vel alius in iam
dictum episcopum manus violentas iniicere, vel eum ca-
pere, vel iuramentum quodlibet ab eo per violentiam ex-
torquere, seu eum in captione tenere, seu statum regni a
seue-

* fratrem

seueritate regia in recessu suo dispositum aliquatenus immutare præsumperit, omni occasione vel similitate postposita conuenientes in vnum, prædictum comitem, & omnes antedictæ præsumptionis consiliarios, auctores, complices & fautores, accensis candelis, & pulsatis campanis, omni appellatione & excusatione nec non & personarum acceptione postpositis, publice nuntietis vinculo excommunicationis adstricatos. Et tamdiu faciatis sic excommunicatos ab omnibus arctius euitari, nec non & in terris illorum, & in aliis quas inuaserint, præter pœnitentias, & parvulorum baptismata, diuina penitus sine appellationis obstaculo prohibeatis celebrari officia: donec iam dicto legato tam a captione quam a iuramento primitus absoluto, & regno ipso in statum a prænominatione rege in recessu suo dispositum reformato, cum testimonio literarum ipsius legati, & vestiarum pariter ad se dem veniant apostolicam absoluendi; scituri pro certo, quod si huius nostri executione præcepti negligentes fueritis aut remissi, non minorem in vos præstante Deo duximus ultionem, quam si prædicta iniuria personæ nostræ vel vni de fratribus nostris esset irrogata.

Datum Laterani quarto Nonas Decembbris, pontificatus nostri anno primo.

E P I S T O L A I I.

CÆLESTINI PAPÆ III.

AD LINCOLNIENSEM ET ROFFENSEM EPISCOPOS.

De irritatione sententiæ in Dunelmensem episcopum per Eboracensem nulliter prolatæ.

Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Lincolnensi & Roffensi episcopis, & dilecto filio abbatи de Burgo, salutem & apostolicam benedictionem.

SICVT ea, quæ a venerabilibus fratribus coepiscopis nostris circumspetione prouida & ratione prævia statuuntur, debemus illibata seruare, ita qua minus quoque considerate aguntur prouidentia pleniori corrigere, & in statum debitum nobis imminet reformare. Cum itaque venerabilis frater noster Gaufridus Eboracensis ar-

Concil. Tom. 28.

G